

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Falcus Göye Henricus Huidkille de

**Programma Quo Regiae & Equestris Academiae Soranae Praeses Falco Goye  
Henrici de Huidkille/ Ad exequias Nobilissimi Iuvenis Georgii Ab Örtzen Cives  
Academicos Vocat atq[ue] invitat : [P.P. Sorae X. Kalend. Iul. M. DC. XLIX.]**

Secundum Exemplar Soranum, [S.I.], [1649]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776204467>

Druck    Freier  Zugang



Huidkille, F. G. H.,

in

G. ab Örtzen.

Sora, 1649.

33.







PROGRAMMA  
quo  
Regia & Equestris  
ACADEMIÆ SORANÆ  
PRÆSES  
FALCO GÖYE  
HENRICI  
de Guidfille/  
Ad exequias  
NOBILISSIMI JUVENIS  
GEORGII AB ÖRTZEN

Gives Academicos

Vocat atq; invitat.



Secundum Exemplar SORANUM.

Ortalium nonnulli adeò  
sapient, ut hominem, nisi in ipso  
patriæ gremio diem suum obeat,  
infelicem judicent, natalis soli  
tantà ducti dulcedine, ut etiam  
eodem obrui ament. Qui utinam  
in Cypro omnes potuissent nasci, ut ibi gignerentur, ubi si fides habenda est nostratibus historicis, sepeliri nequierant. Miseri bipedes, qui tanti sper domi aluntur, ut nesciant, quid sit patria, omnésq; nos infelicissimi, si nuspiam domi esse mus, nisi ubi nasceremur. Paulò ergo rectiū censuit Cicero, qui omnibus municipibus duas esse putavit patrias, unam naturæ, alteram Juris, qvod in hunc modum demonstrat. Ut Attici, inquit, priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, & Sunii erant iidem, & Attici: sic nos eam patriam ducimus, ubi nati; & illam, quâ excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam præstare, quâ reipub. nomen universæ civitatis est: pro qua mori, & cui nos totos deders, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. Quamvis vero nihil eo potest dici veracius: rectissimè nihilominus sapient, qui patriam esse arbitrantur, ubicunq; bene

bene est. Quod cùm pī quiq; intelligerent, nuspī-  
am sibi in mundo patriam esse crediderunt, qui-  
bus ubiq; gentium malè erat. Jacob ergo annos  
peregrinationis suæ numeravit, & Paulus, ut quæ  
superiùs sunt, quæreremus suasit, cùm hic nulla  
nobis permansura civitas, sed nostrum sit in cœlo  
~~πλευρα~~, apud Patrem scilicet Domini nostri JESU  
CHRISTI, à quo omnis in cœlo, & terra ~~πλευρα~~ est,  
& dicitur. Exiguâ enim terræ portio, angustis cir-  
cumscripta limitibus, qualis quæ so esset patria, in  
quâ nobis nonnunquam vix tantum conceditur  
spatii, ubi pedem ponamus, nisi alienæ sit pot-  
estatis? Eāne patria est dicenda, ubi quod patris est,  
sæpe admodum est vile, quod nostrum, vilius;  
Anaxagoras ergo jure justissimo earum nauci fa-  
ciebat ineptias, qui patriâ nimio pere delectaban-  
tur, & quærenti cuiquam, an curæ sibi neutiquam  
haberet patriam, dígito in cœlum directo respon-  
disse fertur: Mihi illa est patria. Quid ergo profu-  
isset nobilissimo Juveni GEORGIO ab Örzen /  
ad eam quam totâ mente affectabat, felicitatem  
obtinendam, si, cum esset fatis concedendum, li-  
cuisset in patria ultimum ducere spiritum, ani-  
mamq; ad cœlestia veraq; festinantem gaudia in-  
ter propinquorum oscula, & lamenta, cum ge-  
mitu exhalare? Bonorum si quæ eveniunt; maxi-  
mè eorum, quæ homines prima ducunt, arbitros,

A 2

& te;

& testes esse cupimus parentes, nostra commoda  
illorum gaudiis, & gratulationibus metientes :  
adversitates autem nostras inspicere aut conscire  
eos inviti patimur, nè casum deplorent, quem  
nequeunt mutare. Et quid tristius potest parenti-  
bus accidere, quam liberorum obitus, quos cum  
indies optent ad alta felici posse conatu niti &  
surgere, expectatio inter vota decollat, & quos in  
sellam vellent reponi curulem, in urna depositos  
vident & dolent ? Quanquam itaq; Germaniae  
amplissima regio Megapolitana nobilissimo Dn.  
GEORGIO ab Öržen lucis primam usuram de-  
dit, quam etiam animo suo carissimam habuit,  
dum fuit : aliam tamen animo conceperat patri-  
am, in qua virtutum suarum specimina luculen-  
tiora redderet. Evenit enim ipsi, quod Philippus  
Macedo filio svasit, quem cum mirâ arte Buce-  
phalum tractare, & tandem consensem ad cur-  
sum videret admittere, descendens caput exos-  
culatus, emissis lacrymis, aliud inquit, ô fili, tibi  
par regnum quære, quando te jam Macedonia  
non capit. Nihilo secius & nobilissimus Dn.  
GEORGIUS ab Öržen aliam animo agitavit pa-  
triam, cui eam, quam natura dederat, postposuit  
omne solum pro patria habiturus, si vivendi fuis-  
set potestas, sin secus, coelum. Quod quā à puero  
instituit, vivendi ratio satis supérq; comprobat.

Illu-

Illustribus enim ortus natalibus, Parentum, Majorūmq;  
suorum virtutem, & nō nisi cum hujus universi machinā  
ruituram gloriam sibi ob oculos ubiq; statuit. Nec quæ  
imitaretur, aliunde sibi potuit spectatoria accersere he-  
roicarum virtutum exempla, quām à sua ipsius familia.  
Pater enim ipsius, generosissimus Dominus J A S P A-  
RUS von Dr̄zen majores habuit ante secula multa illu-  
stres, adeò ut Dux HENRICUS HIEROSOL Tmita-  
nus in miliciam adversus Sultanum Anno salutis 1271.  
profecturus, alias nec filii suis Dn. JOHANNI, &  
HENRICO LEONI Tutores, nec regionibus suis præ-  
sides præfecit, quām Dominos von Dr̄zen. Quorum et-  
iam laudabiliter gesta, annisq; viginti continuata pote-  
stas operosè in Annalibus Lindenbergii commendatur.  
Cum quibus de gloria certat nobilissimi Dn. GEORGII  
von Dr̄zen Matri, generosissimæ Heroinæ, EVÆ von  
Penzen antiqua prosapia, Majorūmq; immortalis fama:  
Imd eorum, qui ex eadem familia etiamnum celebrantur  
militiæ duces non pauci, præ clara hinc inde patrata faci-  
nora. Ad quorum omnium virtutem, & claritudinem  
quibus in patria studiis contendere fuerit annus nobis  
nobilissimus Dn. GEORGIUS von Dr̄zen/aliis relinquimus  
memorandum: quām vero eandem Soræ gloriam con-  
servare studuerit, paucis prædicare nostrum esse puta-  
mus. Biennium quasi est, ex quo Regiam, & Equestrem  
Academiam Soranam accessit omnimodæ matus dis-  
ciplinæ, & exercitiis, quibus omnia interim sui tempo-  
ris momenta ita vendicavit, ut, præteralia, perorandi  
disputandiq; studio & alacritate maxima sui dederit ex-  
perimenta. Primò enim Coronationem Serenissimi po-  
tentissimiq; Regis nostri FRI DERICI TERTII lucu-  
lentâ oratione celebravit, quā maximam sibi laudem

A 3

meruit.

meruit. Quam nunc multò ampliorem reddidisset, si fata  
permisissent, ut disputationem de Justitia, & Liberali-  
tate, quam Præside electo, viro consultissimo, Dn. D.  
**HENRICO ERNSTO**, publicæ disquisitioni submit-  
tere jamjam parabat, in apricum produceret. Verùm quæ  
has ingenii dotes, in medio cursu proximis Junii Kalen-  
dis extinxit mors præmatura, eadem præter spem & vo-  
ta omnium rarissimas animi virtutes, artiumq; pacis &  
belli multam annum vigesimum secundum ætatis non-  
dum egresso invidit peritiam. Erat enim in moribus sva-  
vis, in congressibus affabilis, in conversatione familia-  
ris, in exercitiis equestribus acer, erga superiores mode-  
stus, erga pares officiosus, & erga inferiores humanus,  
& beneficus. Quæ omnia magnâ gratiâ commendavit in-  
defessa pietas, & integerrima vitæ sanctimonia, quâ præ-  
ditus nunc Deum corâm intuetur, sanctisq; & piis inser-  
tus, indefessa pietas, & integerrima vitæ sanctimonia,  
quâ præditus nunc Deum corâm intuetur, sanctisq; &  
piis insertus, in cœlis triumphat. Nos verò, quibus ma-  
gnum reliquit sui desiderium, ut supremum optimè me-  
rito hodie præstemus officium, ad lugendi societatem,  
consecrandamq; nobiscum piè defuncti memoriam.  
omnes & singulos humanissimè invitamus. P.P. Soræ  
**X. Kalend. Jul. M. DC. XLIX.**

*Sub Academiæ Sigillo.*

---

**N**on sat erat, sedes Obotritæ pristina gentis,  
Et Pharodenorum Megalepolis inclita Regum  
Quæ quandam fuerat ditio, quod lumine tristi  
Viderit Heroas Pellæo è sangvine cretos,  
Aut natale solum, dulcesq; relinquere terras.  
Exutos opibus, vel fortis occumbere leto,  
Dum flagrum Bellona quatit, dum tristis Enyo

*Laxat.*

Laxat sanguineū implexos crinibus hydros:  
Nunc etiam, postquam dubios Germanica passus  
Pax trahit, optatamq; diu, pretioq; redemptam.  
Vel monstrat faciem, vel monstratura videtur,  
Mors solitam exercens assueto funere falceps,  
Nec satiata malis, nec prisci oblitera furoris,  
Sævit in illustres animas, Meglaburgica tellus.  
Quas genuit, quamvis patriâ procul arce remotas  
Aspiciant populos alio sub Sole jacentes.

Ingens excidium, & largæ dispendia sortis  
ORTZIADUM clari pridem sensere penates,  
Milite passim Herulos grassante impune per agros:  
Damna ferenda tamen, quæ pectora nescia vinci  
Crudelis norunt certa esse pedissequa belli:  
At nunc, cùm reduci speratur cedere Paci  
Mars ferus, illa domus majore afflcta ruinâ  
Ingemit: & miseram gravior jactura seqvuta es,  
Non prece, non ullis unquam reparanda talentis:  
Postquam Te, ORTZIADUM stirpis laus magna, GEORGI,  
Pars animæ dilecta meæ, prænobile germe,  
Communis patriæ, procul à natalibus arvis,  
Irati eripuit nobis violentia cœli,  
Vota insperato rumpens communia casu.

Te dii vigor ingenii, te mascula virtus  
Spondebat patriæ tot dura incommoda passæ  
Grande decus quondam, columenq; illustre futurum:  
Et genus ORZIADIL M., celebrisq; insignia gentis,  
In longa ad seros ducturum secla nepotes.  
Spes voti stabilita fuit, cùm Sora videret  
Te magni egregios molitum pectoris ausus:  
Cùm studiis animus servens, & Apolline plenus  
Hauriret Clarias artes, orisq; disertî  
Attentas traheret facundia publica mentes.  
Tunc etiam, Numeros, animæ primordia nosfræ,  
Mē duce, & harmonicas cùm rimareris abyssus;  
Quoq; modo, hostiles quæ possent temnere turmas,  
Artifici constructa manu Minimina surgant:  
Cùm tensos filum tractus, Radiiq; meatus

Cir.

Circumiens, flexi vestigia duceret orbis.  
Nec minus & forti membra indurare palæstrā  
Cura fuit, validoq; habilem te reddere Marii:  
Et celerem frenare lupis ac murice acuto  
Quadrupedem, gnaro jussum parere magistro.  
Talibus ad summos exercebatur honores  
Infractus studiis animus. Sublimius ortu  
Ingenium, & magnā major solertia stirpe  
Non poterant latuisse diu. Sors invida, rotam  
Quæ patriam solidis afflixit cladibus oram,  
Ne queat unitis rediviva resurgere membris,  
Sternere decrevit partes. Dum concurrit urnam,  
In quo principium sceleris daret improba tanti.  
Te primum tetigit Parcarum calculus, ORTZI,  
Fatali excussus dextrā: pro Daphnide lauru,  
Quam labor, & noctu vigiles mervēre lucernæ,  
Substituit mæstam immitis Libitina cupressum.

Hinc caris nuper spes una parentibus, unum  
Solamen, (longi qui damna domestica belli,  
Et miseras strages, quas hosticus intulit ensis,  
Magnanimo fortes superarunt pectore, dum tu  
Præsidium generis posses superesse paterni)  
Nunc postquam in tenues abiit spes irrita ventos,  
Cordolium es mœrorq;: Hæredem prædia deflent  
Roggobiana suum: vicināq; Vostrava fluctus  
Erigit, effuso gemitu dans vorūcīs alveo.

Quod superest, sanctæ Pietatis munia rite  
Expletura, suo Sorana Academia civi  
Inferias parat, extremonq; exsolvit honores,  
Condecoransq; tuam gemitu & singultibus urnam,  
Officioq; pio justum testata dolorem  
Ad cineres mærens hæc vota novissima fundit:  
Lux æterna tuis splendescant Manibus, ORTZI,  
Sit tellus levis. Exsuvias atq; ossa paternum  
Translata ad tumulum nostri comitantur amores,  
Mæstāq; lugubrem deducat Gloria currum.

Multa condolentiae ergo scr.

Johannes Laurenbergius, Math. PP.










Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn776204467/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776204467/phys_0016)

**DFG**

Illustribus enim orfus natalibus, Parentes suorum virtutem, & nō nisi cum hujus ruituram gloriam sibi ob oculos ubiq; imitaretur, aliunde sibi potuit spectato roicarum virtutum exempla, quam à si Patet enim ipsius, generosissimus Dux RUS von Orzen majores habuit antestres, adeò ut Dux HENRICUS HILDEBRANDUS in miliciam adversus Sultanum Aegyptiensem profecturus, alios nec filiis suis Dn. JACOBUS HENRICO LEONI Tutores, nec resides præfecit, quām Dominos von Orzen laudabiliter gesta, annisq; viginti etas operosè in Annalibus Lindenberga. Cum quibus de gloria certat nobilissimus von Orzen Matris, generosissimæ Henrici Penzen antiqua prosapia, Majorūmq; Imò eorum, qui ex eadem familia etiam militiæ duces non pauci, præclara hinc nosa. Ad quorum omnium virtutem quibus in patria studiis contendere fuitissimus Dn. GEORGIUS von Orzen, memorandum: quām vero candem Servare studuerit, paucis prædicare nō possumus. Biennium quasi est, ex quo Regia Academiam Soranam accessit omnibus disciplinæ, & exercitiis, quibus omnia in ris momenta ita vendicavit, ut, præter disputandi studio & alacritate maximam experientia. Primò enim Coronationem tentissimiq; Regis nostri FRIDERICI lentâ oratione celebravit, quā maxi-

A 3



012

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.